



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

III. De foro competenti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

ANNO
 CHRISTI
 1322.

re, iniungentes his qui sub eis iurisdictionem obtinent, vt de obseruantia statutorum & Canonum in suis visitationibus inquisitionem faciant diligentem : quam inquisitionem referre suis prælatis in proximis Synodis teneantur.

II.

Quia notitia catholicæ fidei cuilibet ortho-
 do est necessaria ad salutem, & eius ignorantia peri-
 culosa quam plurimum & nociua; statuimus vt qui-
 libet rector parochialis ecclesiæ in scriptis habeat
 in Latina & vulgari lingua articulos fidei, præce-
 pta decalogi, sacramenta ecclesiæ, species vitio-
 rum & virtutum, & quater in anno ipsa publicet
 populo, in festis videlicet natiuitatis Domini, re-
 surrectionis, pentecostes, & in assumptione Vir-
 ginis gloriosæ, & in diebus dominicis quadrage-
 si-
 mæ. Quod si rectores in hoc negligentes fuerint,
 per prælatum suum acriter puniantur.

III.

Ecclesiastica iurisdictione a sæculari distincta dig-
 noscitur, & vna per alteram impediri non debet,
 sed potius adiuuari. Quia vero nonnulli sæculares
 iudices statuta Canonum circa hoc edita contem-
 nentes, clericos & alias personas ecclesiasticas super
 rebus suis & causis presbyteralibus iniuriose com-
 pellunt coram se in iudicio litigare: statuimus, & v-
 niuersis prælatis in virtute sanctæ obedientiæ præ-
 cipiendo mandamus, vt statutum felicis recorda-
 tionis Bonifacii papæ VIII. quod incipit: Quo-
 niam, vt intelleximus: in suis Conciliis & episcopa-
 libus Synodis, & in ecclesiis etiam suarum dicece-

sum, vbi expedire viderint, faciant publicari, prædictosque iudices excommunicatos publice nuntiari.

IV.

Quamuis diuinæ legis præcepto sancitum sit, diebus dominicis & festiuis ab omni opere seruili abstinere: nonnulli tamen huiusmodi transgredientes præceptum, & rusticalia opera & artificia manualia diebus prædictis exercere præsumunt. Ne igitur ex transgressione huiusmodi fidelis populus indignationem Dei omnipotentis incurrat, statuimus, vt nullus in diebus dominicis & festiuis agros colere audeat, aut artificia manualia exercere præsumat, nisi vrgente necessitate vel euidenti pietatis causa, & tunc de speciali licentia sacerdotis. Transgressores autem præsentis constitutionis per excommunicationis sententiam a suis ordinariis puniantur.

V.

Causarum & litium dispendiosa protractio, quæ plerumque per falsorum testium dicta & aduocatorum malitiam procuratur, quatenus fieri poterit, iuris est auxilio restringenda. Ideoque statuimus vt falsi testes, aduocati, mediatores, & aliter eos inducentes ad falsa testimonia perhibenda, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, a qua, nisi postquam eis satisfecerint, quibus damna per depositiones & inductiones huiusmodi illata sint, nullatenus absoluantur: præsentem vero constitutionem prælati faciant in suis ecclesiis cathedralibus & parochialibus diebus solennibus & in Synodis publicari.